



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

18. Julii. Pusillanimitas tua dæmonem audaciorem facit: sicut fœmina tunc solùm sunt audaces, cùm æmulos viderint effœminatos. S. Ignat. in Exerc.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

mille libris alii sperare possint. Nihil demitur scientiis, quod tribuitur pietati.

Scientia, quæ robur non accipit à pietate, parum proficit: sicut non omne semen frugiferum, ita non omnis scientia fœcunda est, hæret inutilis, sicut thesaurus absconditus, cujus non est usus.

Multi docti parvum doctrinæ fructum referunt, post tot annos studiis addictos sterile semper solum arant, & cum seminaverint multum, parum metunt, illudque plus lolii, quam frugis: quia sine benedictione Dei, medulla deest.

18. Julii.

*Pusillanimitas tua demonem audaciorem facit; sicut fœmina tunc solum sunt audaces, cum amulos viderint effœminatos.*  
S. Ignat. in Exerc.

**T**Alem erga nos experimur dæmonem, qualem ipsum volumus. Cadit ille animo, si nos assurgimus; vicissim tantum ei accrescit, quantum nos animi perdimus. Nostrâ pusillanimitate robustior, & robore fit infirmior.

Imprudentes sumus, nobisque maximè inimici, si non hebetemus hosti potius,

quàm acuamus arma , si non eripiamus  
citiùs, quàm ministremus nobis nocendi  
media. Nihil contra nos ille posset, si nos  
nollemus.

Qui timet, jam mediâ, & meliore sui  
parte victus est, non hostis fortitudine, sed  
ignaviâ propriâ prostratus. Et quis rari  
inerti pugili compatiatur?

Ferox, & implacabilis hostis est, sed in-  
timentem; si cedis, insistit: resiste, non  
nocebit; fortè nec tentabit. Vinci enim  
eum pudet, mavultque non tentare pu-  
gnam, quàm perdere.

19. Julii.

*Ut correctio locum habeat, debet esse vel  
auctoritas in corrigente, vel amor cogni-  
tus in corrigendo. S. Ignat. apud Bart.*

**T**ot in Republica pœnæ, tot passim  
sunt carceres, & pauci emendantur:  
pauciores futuri rei, si rariora forent sup-  
plicia. Metus non emendat, torquere, occi-  
dere, sic scelus finire potest, non emenda-  
re; hoc non facit, nisi amor corrigentis.

Flabrum ignem non extinguit, sed in-  
flammam evocat; aqua stillatim igni asper-  
sa hunc auget potius, quàm imminuit: